HUGO DE SANCTO VICTORE
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 47v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26478
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& terram nouam eminus prospicit. qualem nunquam
antea vel uidisse se meminit vel esse existi
mauit. Miratur & ipse quod uidet. pre gau
dio presentis luminis preteritas ignorantie
sue tenebras accusat. miratur subter se in imo
quo prostratus iacuit. miratur super se in summo
quo eleuatus tendit. Gaudet se iam tantum
euasisse quod doluit. dolet se tantum adhuc
ab eo ab eo quod diligit. Conatur igitur festinat.
ascendit. crescit per desiderium. & quemadmodum
uirgula fumi quanto magis sursum tollitur.
tanto amplius extenuatur: ita celestibus
appropinquans. & omnem terrene concupiscen
tie nebulam euaporans. totus spiritualis
efficitur: tandemque se humanis subducit
aspectibus. dum ad terrena ista & uisibilia
concupiscenda amplius exire recusans. intus
in abscondito faciei domini gloriatur. De ro
boratione.

Octauo loco adiunctum est.
per caritatem roboratur. Caritas similis est
uino. Vinum namque eos quos inebriauerit.
reddit hilares. audaces. fortes. obliuio
sos. & quodammodo insensibiles. sic caritas
mundando conscientiam mentem exhilarat.